

quidem aliquid demere, addere aliquid,
multo minus mutare, quae mutanda nobis
videri forte potuissent, religioni adeo
nobis duximus, ut ne adnotationibus
quidem, quas §is subiicere animo pri-
mum constitueramus, lectorum meditatio-
nem, veritatibus ab Auctore propositis in-
tentam, interpellare voluerimus.

IPSE autem b. AVCTOR, qui non tam
suae, quam potius veritatis militabat glo-
riae; sicuti numquam tribuere sibi nimium
sueuit, ne in disciplinis quidem, quarum
felix fuit instaurator atque amplificator
maxime strenuus; modeste admodum sen-
sit de suis in Theologiam moralem meri-
tis. Nouit enim, Theologiam moralem
theologicarum disciplinarum omnium fere
difficillimam: eamque inter omnes mini-
me esse satis exultam, ipse est professus.
De eo praesertim iam olim conquestus fuit,
quod in tanta systematum, Philosophiam
moralem tradentium, multitudine exsta-